

## VII.

AD CLARISSIMUM VIRUM

JULIUM BAJAMONTIUM

MEDICUM, POETAM ET MUSICUM PRAESTANTISSIMUM

## EPIGRAMMA

Non ego tergeminac eximio te munere laurus  
 Propterea dignum, dulcis amice, puto,  
 Carmine cycnaeo anxiferas quod pellere curas  
 Sollicitisque animis fundere mille melos  
 Es potis, argutos placuit si tangere nervos;  
 Languidulisque omnes trudere corporibus  
 Morborum facies, duramque avertere mortem,  
 Quodque uno pestis te minor ipsa fuit.  
 Sed magis ingenua quod simplicitate pudici  
 Se produnt mores, queis neque candidius  
 Quidquam conspexi, aut oculis humanius hausit.  
 Quare hoc praecipue tu mihi macte bono  
 Juli, esto, varium, subtile, et grande, quod unus  
 Aureolis cumulas moribus ingenium.